

A & populis notior erat, hos uersus esse assumptos ; quod ille, qui repromittebatur de genere Dauid, uenerit saluatoris Israel, dicente Dauid : Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. a Domino factus est hic, & est mirabilis in oculis nostris. Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. O Domine saluum me fac: o Domine bene prosperare: benedictus, qui uenit in nomine Domini. Benediximus uobis de domo Domini: Deus dominus & illuxit nobis. Vnde & euangelistarum scriptura com-memorat, pharisæos & scribas super hoc indignatione commotos, quod uiderent populum, psalmi prophetiam super Christo intelligere completam, & clamantes pueros, osanna filio Dauid, dixisse ei: Audis, quid isti loquuntur? Et Iesum respondisse: Num quam legistis, quia ex ore infantium & lætentium perfecisti laudem: centesimum decimum septimum psal-mum, octauum psalmi assertione firmantem. Et de eo quidem, quod facile exprimi poterat; Benedictus, qui uenit in nomine Domini; omnium euangelistarum scriptura consentit. De uerbo autem osanna, quia in Græcum non poterant transferre sermonem, sicut in alleluia, & in amen, & in plerisque factum uideremus, ipsum Hebræum posuerunt dicentes, osanna. Lucas igitur, qui inter omnes euangelistas Græci sermonis eruditissimus fuit, quippe ut medicus, & qui euangelium Græcis scriperit, quia se uidebat proprietatem sermonis trans-ferre non posse, melius arbitratus est tacere, quam id ponere, quod legenti faceret quæstio-nem. Ad summam, sicuti nos in lingua Latina habemus interiectiones quasdam, ut insul-B tando dicamus, uah, & in admirando, papæ, & in dolendo, heu; & quando silentium uolumus imperare, strictis dentibus spiritum coartamus & cogimus, infonando scilicet si-bilum: ita & Hebræi inter reliquas proprietates linguae sue habent interiectionem, ut, quando uolunt Dominū deprecari, ponant uerbum perentis affectu, & dicant: Anna Domi-ne: quod Septuaginta dixerunt: o Domine ἡὐσάντα. Hosiah, ergo saluifica interpretatur, Anna interiectio deprecantis est. Si ex duobus his uelis compositum uerbum facere, dices, ἡὐσάντα hosanna, siue, ut nos loquimur, osanna, ἡὐσάντα, media uocali littera elisa: sicuti facere solemus in uersibus Virgilij, quando pro, Mene incepto defistere uitam, scandi-mus, Menin cepto. Aleph namque littera prima uerbi sequentis, extremam uerbi prioris iudicium inueniens, exclusit. Quapropter ut ad questionis originem reuerramur: ubi nos legimus in latino: O Domine saluum me fac, o Domine bene complace: benedictus qui uenit in nomine Domini: iuxta Hebræum sensum legere possumus, obsecro Domine saluum fac, obsecro Domine prosperare: Benedictus, qui uenit in nomine Domini. Saluum autem fac dicitur, ut subaudiamus populum tuum Israel, siue generaliter mundum. Denique Mat-thæus, qui euangelium Hebræo sermone conscripsit, ita posuit בָּרוּךְ הוּא שׁוֹרֵן אֶלְעָנָה osanna bera-ma, id est, osanna in excelsis: quod, Saluatore nascente, salus in cælum usque, id est, etiam ad excelsa peruenieret, pace facta non solum in terra, sed & in celo: ut iam dici aliquando cef-faret, Inebriatus est gladius meus in celo. Hæc interim, iuxta mediocritatem sensus mei, breuiter strixiq. dictavi. ceterum sciat beatitudo tua, in istiusmodi disputationibus mole-stiam in legendō non debere subrepere: quia facile & nos potuimus aliquid ementiri, quod C ex una uoce solueret quæstionem, sicut & ceteros fecisse monstrauimus: sed magis condecet, ob ueritatem laborare paulisper, & peregrino aurem accommodare sermoni, quam de alie-na lingua fictam falsamue referre sententiam.

ARGUMENTVM.

ROGATIVS a Damaso Papa, Euangelicam Parabolam, que est apud Lucam de filio prodigo, & filio frugi, pro gentili, & Hebreo populo, docte, appositeq. interpretatur.

HIERONYMVS DAMASO.

EPISTOLA CXLVI.

BEATITUDINIS tua interrogatio disputatio fuit: & sic quæsiſſe, quærendo uiām est dediſſe quæſitī. Sapienter quippe interrogati sapientia reputabitur. Ais, quis est iste in euangelio pater, qui duobus filiis substantiam diuidit? qui duo filii? qui maior? quiue minor? quo modo minor acceptam substantiam cum mere-tricibus dissipat? fame facta, a principe regionis præponitur porcis, filiolas comedit, ad patrem reddit: accipit anulum, & stolam, & immolatur ei uitulus saginatus. quis sit maior frater,

Psal. 11. 7

Matth. 21

Luc. 19

Ioan. 12

Matth. 21

Esa. 34